



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Titulus XXIX. De Clerico per saltum promotio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

Pirh. *h. t. n. 7.* qui tamen cum Suar. id ipsum limitat, dum ait, ad propositum, sufficienter ad vitam irregularitatem serio agere illum, qui externam actionem Ordinis serio producit eo modo ac sine, ut homines decipiat, vel persuadeat, se ex vero ac sincero animo, & interne etiam talem actum Ordinis exercere, etsi revera talem intentionem non habeat.

4. Requiritur tertio: ut scienter ac temere illum actum exerceat; unde qui ex ignorantia invincibili putat, se habere Ordinem, cuius actum exercet, non incurrit irregularitatem, quia hæc imponitur tanquam pena peccati temeritatis; hoc autem abest propter invincibilem ignorantiam; ita Suar. *cit. num. 16.* Avila *de cens. l. c.* Reiffenst. *num. 8.*

5. Requiritur quarto: ut exerceat actum proprium Ordinis sacri, vel actum Ordinis minoris, cum solennitate tamen, & quasi ex officio; secus, si illum faciat sine solennitate, ut illum ex consuetudine facere solent Laici. Nav. *cit. n. 242. dicto 2.* Suar. *l. c. n. 15.* Pirh. *h. t. n. 7. juncto n. 9.*

6. Requiritur quinto: ut ministrans in Ordine, quem non habet, sit capax irregularitatis, qualis quia non est femina, ea exercens actum Ordinis non sit irregularis. Idem dicendum de non baptizato ministrante in Ordine; cum & hic sit incapax irregularitatis, saltem illius, quæ est lata propter delictum, quia baptizatus non est extra forum Ecclesiæ, ideoque non ligatur legibus illius. Suar. *cit. f. 4. n. 20.* Pirh. *h. t. n. 8.* De cætero, quod hic notandum, quod nullus exercens jurisdictionem, quam non habet, incurrat irregularitatem, v. g. Sacerdos ministrans Sacramentum penitentiae non-subdito.

7. Secundo: Clericus incurrit suspensionem ab Ordine proxime suscepto infligendam: ad biennium vel triennium. *c. 2. h. t.* non tamen ab Ordinibus antecederet susceptis Suar. *cit. f. 4. n. 4.* Pirh. *h. t. n. 3.* qua illorum Ordinum nullibi fit mentio; dispositio autem pœnalis, qualis est de incurrenda irregularitate, restringenda potius quam extendenda. Arg. *c. odia. de reg. jur. in 6.*

8. Tertio: incurrit pœnam excommunicationis, *c. 1. h. t.* ubi dum dicitur: propter temeritatem abjiciatur ab Ecclesia; per *rd abjiciatur* intelligitur, excommunicationem non ipso facto incurri, sed infligi debere. Suar. *l. c. n. 2.* Reiffenst. *h. t. num. 5.*

9. Quarto: est pœna degradationis, & traditio Curie seculari, de quo vide dicta hac quæst. *n. 2.*

*Quæst. 405. Quisnam dispensare possit in irregularitate contracta per ministrationem in Ordine, quem non habebat?*

**R**esp. Dispensare olim poterat in ea, & concedere potestatem ascendendi ad Ordines superiores suscipiendos, & in proxime suscepto ministrandi, ut & ad beneficium retinendum solus Pontifex. *c. 1. §. fin. de sent. & re judic. c. 1. §. fin. de sent. excomm. in 6.* novissimo autem jure Concil. Trid. *Sess. 24. c. 6. de Reformat.* sicut in aliis extra homicidium, sic etiam in hac irregularitate ex delicto occulto contracta dispensare quod ad hæc potest Episcopus. Ugo. *de offic. Episc. c. 57. §. 3. n. 1.* Bonac. *de cens. d. 7. q. 3. p. 6. n. 10.* Barb. *ad Trid. cit. c. 6. n. 13.* Pirh. *num. 10.* Secus, si delictum sit publicum, aut deductum ad forum contentiosum. Reiffenst. *n. 16.* cum communi.

## TITULUS XXIX.

### De Clerico per saltum promoti.

*Quæst. 406. Quid sit ordinari per saltum, & num Ordo per saltum collatus sit validus?*

**R**esp. Est prætermisso uno, vel pluribus Ordinibus inferioribus ascendere ad Ordinem majorem, à Subdiaconatu ad Presbyterium, quod licet graviter prohibitum, & condignâ penâ plebendum, est tamen etiam si quis nullum habens Ordinem, immediatè promoveatur ad Sacerdotium; ut Gl. communiter recepta, *in c. sollicitudo. dist. 52. v. Subdiaconatus.* Arg. *c. unic. h. t.* dum ibi ei, qui prætermisso Diaconatu suscepit Sacerdotium, non præcipitur repetere Sacerdotium, sed suscipere Ordinem, qui prætermisus est. Idem dicendum de Ordine suscepto absque prima tonsura, etiam dato, eam non esse Ordinem, de quo paulò post amplius. Contrarium tamen dicendum de Episcopatus Ordine, nimirum hunc susceptum non præmisso Sacerdotio, urpote qui illud essentialiter prærequirit.

*Quæst. 407. Quibus pœnis subjectus, qui omissis inferioribus suscipit superiorem Ordinem?*

**R**esp. Sive scienter sive ignoranter id faciens ipso jure & facto suspensus est ab Ordine, R. P. Lew. *Jur. Can. Lib. V.*

quem per saltum suscipit, manetque tam diu suspensus, donec Ordinem inferiorem omissum receperit. Abb. *in c. unic. h. t.* Barb. *ibid. n. 3.* Fagn. *n. 22.* Nav. *man. c. 22. n. 242.* Sylv. *v. irregularitas. q. 11. n. 13.* Avil. *l. c. f. 1. du. 2. concl. 1. & 2.* Suar. *l. c. d. 31. f. 1. n. 45.* & *seq.* Pirh. *h. t. n. 2.* juxta *c. unic. h. t.* probabilius tamen non est suspensus ab Ordinibus aliis rite & gradatim susceptis, ut Suar. *l. c. n. 48.* Reiffenst. *h. t. n. 4.* Arg. *c. unic. h. t.* ubi dicitur: promotus per saltum ad Sacerdotium pro usu & exercitio hujus solius dispensatione opus habere. Sic quoque ipso facto suspensus ab Ordinum exercitio, qui eos sine prævia prima tonsura suscipit, Barb. *de off. & potest. Episc. alleg. 47. n. 7.* Sperel. *decis. 114.* Pirh. *h. t. n. 7.* juxta quod declaratum à S. Congregatione, quam declarationem refert Gallemart. *ad Trid. sess. 23. c. 14. de reform.* Rationem addit Reiffenst. *h. t. n. 6.* nimirum, quod, licet dato primam tonsuram non esse Ordinem, sit tamen primus gradus ad Ordines, eorumque fundamentum, & instar Ordinum in consuetis Ecclesiæ ordinationibus conferatur, unde etiam à sacris Canonibus vocatur Ordo, *c. cum contingat. de atate & qualitat. proficiend.* non tamen est suspensus, qui absque Sacramento Confirmationis primam tonsuram vel Ordines suscipit, Avila *de cens. p. 7. d. 9. f. 1. du. 3.* Zoel. *h. t. n. 5.* Pirh. *num. 10.* cum communi, eò, quod

quòd licet Trid. l. c. præcipiat, ne quis primâ tonsurâ initiatur, & consequenter, ne ordinetur, qui Sacramentum confirmationis non susceperit, indeque, qui id fecerit, illicitè agat; non tamen à Trid. aut à Jure communi ullibi ei imponatur suspensio vel irregularitas, & consequenter arg. c. 15, qui de sent. excom. in 6, imò non esse peccatum mortale, si quis sine Confirmationis Sacramento suscipiat Ordines etiam Sacros, aut in iis ministret, probabiliùs cum Avila. l. c. f. 1. du. 3. docet Pirh. num. 10. & plerique recentiores.

*Quest. 408. An & qualiter per saltum ordinatus incurrat irregularitatem?*

**R** Esp. Incurrit illam, si temerè ante absolutionem à suspensione exerceat actum Ordinis per saltum suscepti, quia violat censuram, nempe suspensionem, non tamen incurrit eam suscipiendo solummodò ordinem per saltum, si ab exercitio talis ordinis abstinet, utpote quæ nullibi in jure expressa. Suar. Fagn. ll. cit. Sylv. l. c. num. 12. Barb. & alii contra Gonz. inc. unic. h. t. num. 6. Sed neque sit irregularis ministrando in Ordinibus, quos legitimè perceperat; quia ab iis non erat suspensus, Barb. l. c. allegat. 47. num. 10. Avila, l. c. du. 2. concl. 2. in fin. Pirh. h. t. n. 5.

*Quest. 409. Quis possit dispensare in pœnis ob ordines per saltum susceptos contractis?*

**R** Esp. Primò: Potest Episcopus dispensare in suspensione seu absolvere ab ea, ita ut in ordine per saltum suscepto ministrare possit, & ordinem omissum recipere, si in eo ordine non ministraverit. c. unic. h. t. Trid. l. c. idque, siue scienter siue ignoranter fuerit ita promotus; quia Concilium non distinguit, utrùm scienter ex ambitione & malitia, an ex negligentia & ignorantia sic fuerit ordinatus, sed indistinctè & simpliciter

dicit, posse Episcopum dispensare, si non ministraverit. Pirh. h. t. num. 6. modò tamen priùs ordinem omissum receperit. Quia, ut quis ascendat ad Superiores Ordines, aut in iis ministret, antequam receperit ordines intermedios suppositâ institutione, ut ordines gradatim recipiantur, per se malum est, & repugnans juri divino, ita ut in eo etiam Summus Pontifex dispensare non posse videatur, ut Pirh. num. 5. vers. norand. tertio. Unde jam in eo dispensare non poterit Episcopus, si in Ordine per saltum suscepto citra dispensationem ministraverit, siue scienter & dolosè, siue ex ignorantia sic ordinatus fuit; quia nec in hoc Concilium distinxit. Suar. cit. num. 4. in fine. Barb. l. c. n. 6. Lopez, in pract. can. apud Diaz. c. 24. in addit. Lit. D. Pirh. num. 6. apud quem tamen negat Fagn. in c. unic. h. t. num. 24. & 25. posse Episcopum cum illis dispensare, qui non ministrarunt, si scienter fuerint per saltum ordinati. Sed neque Episcopus potest dispensare cum eo, qui per saltum promotus, receperit sine dispensatione ordinem prætermisum, ut ministraret in Ordinibus susceptis, & ad Superiores ascendat; cum, etsi vi Trid. l. c. prohibeatur solum Episcopis dispensare cum promotis per saltum, si in ordine sic suscepto ministraverint, adeoque cessante hac conditione, cum suscipere ordinem prætermisum non sit ministrare in ordine; verùm tamen si ordinatus per saltum recipiat sine dispensatione ordinem omissum, incurrit novum genus suspensionis, quia suscipit illum ordinem censurâ ligatus, cum excommunicato autem aliave censurâ irretito, qui scienter ordines receperit, solus Papa dispensare potest. Pirh. num. 5. cum Barb. l. c. num. 11. Porro etsi Episcopus dispensare non possit in suspensione aut irregularitate contracta ex usu taliter suscepti ordinis, si delictum sit publicum, dispensare tamen poterit in ea vi Trid. Sess. 24. c. 6. si delictum sit occultum. Avil. l. c. concl. 2. Pirh. num. 5. Reiffenst. h. t. num. 10.

## TITULUS XXX.

### De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

*Quest. 410. Quis dicatur furtivè recipere Ordines?*

**R** Esp. Sunt ii, qui vel in examine rejecti, vel sine examine simulque sine consensu & licentia Ordinarii, hoc est, proprii Episcopi ordinatoris dolosè cæteris ordinandis se ingerunt. Item, qui admissi unâ eademque die ordines minores cum aliquo Sacro Ordine aut duos Sacros Ordines simul contra Superioris inhibitionem vel citra ejus licentiam recipiunt. Sumitur ex can. quando. dist. 24. c. extra. dist. 64. c. 2. & 3. h. t. Abb. in rub. h. t. Gl. in c. 1. h. t. v. furtivè: Host. in sum. h. t. num. 1.

*Quest. 411. Utrum recipiens ordinem furtivè ordinetur licitè & validè?*

**R** Esp. Etsi talis graviter peccet, utpote contra præceptum Ecclesiæ grave & in gravi materia, valet tamen ordo sic susceptus, ut habet communis. Arg. c. 1. h. t. ubi sic ordinatus non jubetur reordinari, & sublata censurâ permittitur in illo ordine ministrare, nisi tamen ordinans haberet seriâ intentionem non ordinandi dicto modo furtivè se ingerentes. cir. c. 1. Rebuff. in pr. benef. tit. de Cler. malè promot. Gl. 4. n. 19. Pirh. h. t. n. 5.

Juxta unanimes & certam AA. ad valorem Sacramenti requirementum intentionem conferentes illud. Unde & præmitti solent collationi Ordinum ab Episcopis eorumve Officialibus hæc aut similia verba; *Non intendimus ordinare non examinatos aut approbatos.* Talem autem intentionem & protestationem tales non ordinandi præmittere non esse consultum, monet de Lugo de Sacram. d. 8. num. 119. tum quia est difforme ritibus & praxi universalis Ecclesiæ; tum quia secum trahit gravissima incommoda & pericula, quæ ex dubia & irrita ordinatione oriuntur. Quamvis consultum sit & juri conforme, ut sub excommunicatione prohibeat, ne se ingerant non approbati, vel ne aliqui plures ordines eadem die recipiant. Arg. c. 1. 2. 3. h. t. Quod verò docent Bonac. d. Sacram. d. 2. q. 2. c. 4. num. 6. Laym. L. 5. tr. 1. c. 4. num. 6. Henric. L. 2. c. 8. num. 5. Validè tales furtivè se ingerentes ordinati, non obstant præmissâ protestatione & intentione illos non ordinandi, si Episcopus postmodum nihilominus habeat intentionem ordinandi omnes præsententes, vel faciat intentionem universalem faciendi circa præsententes sistendi se pro Ordinibus suscipiendis, quod facit Ecclesiæ, verum quidem videtur, si revera haberet illam intentionem